IOHANNES DE TURRECREMATA
Süddeutscher Raum, 1477 Seite 159r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Et quia talis liberacio est causa leticie bonis dicit
Videbunt recti et letabuntur et econtrario quia malis
et superbis occasio e tristicie sequitur omnis homo iniquus ob-
struet os suum ex sua deiectione factus tacens et mutus
Quis ergo sapiens videns quod deus sic adiuuat pauperem
et superbos excecat custodiet hec ut sit pauper humilis
non diues superbus et intelliget misericordias domini scilicet quod ab omnibus
malis liberat non pro merito hominis sed propter misericordias suas

Psalmus In quo monet ad bonam compassionem
Propheta.

Paratum cor meum
deus ut te voce predicem et operibus glorificem
cantabo corde psallam opere et hoc faciam
quod tibi totis viribus meis seruiam gloria
mea est
Exurge dicebat propheta dauid in instrumentis suis in
quibus dictas laudes decantabat exurge psalterium
et cythara exurgam diluculo hora scilicet qua deuoti homines
soliti sunt surgere ad laudandum deum
Propheta preuidens quod psalmi eius forent in futuris generacio-
nibus decantandi in ecclesia dicit Confitebor tibi con-
fessione laudis in populis christianis et psallam tibi in na-
cionibus omnibus in quibus filius tuus per apostolos erit
magnificatus seu manifestatus
Et merito Quia magna est super spirituales creaturas
misericordia tua quia etiam angeli beneficiis fruuntur nec est
aliqua creatura que misericordia dei non egeat veritas tua
magna est usque ad nubes constituendas id est apostolos
et predicatores sanctos qui veluti nubes compluunt ecclesiam
aqua celestis doctrine